

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Diuicie h
cum fonte primo

Hoc attendite ne passim diuites reprehendatis
et rursus ne de paupertate et egestate presumatis.
Si enim non est presumendum de diuiciis,
quanto magis non est presumendum de paupertate?

Hoc intendite; ne passim diuites reprehendatis,
et rursus ne de paupertate et de egestate praesumatis.
Si enim non est praesumendum de diuitiis,
quanto magis non est praesumendum de paupertate,
sed de Deo uiuo?

Augustinus Hipponensis, *Enarrationes in Psalmos*,
51.15 (CCSL 39, E. Dekkers & J. Fraipont eds., p.635,
ll.41-45).

Pauper ulcerosus

non habens escam, non ipsam uestem,
ablatus est ab angelo in sinum Abrahae.

Vides quis sublatus est, non uides quo sublatus est

in sinum Abrahae;
lege scripturam et inuenies diuitem Abraham.

Sublatus est ergo in sinum diuitis pauper,
an potius ambo diuites Deo,
ambo a cupiditate pauperes.

Augustinus in originali super Psalmo LI.

Pauper ulcerosus,

aerumnosus, linctus a canibus, non habens opem,
non habens escam, non habens forte ipsam uestem,
ablatus est ab angelis in sinum Abrahae.

Eia tu pauper gaudes modo,

numquidnam tibi et ulcera optanda sunt?

Nonne patrimonium tuum sanitas est?

Non est in hoc Lazaro meritum paupertatis, sed pietatis.

Nam uides qui sublatus est, non uides quo sublatus est.

Quis est sublatus ab angelis?

Pauper, aerumnosus, ulcerosus. Quo sublatus est?

In sinum Abrahae.

Lege scripturas, et inuenies diuitem Abraham.

Vt noueris, quia non diuitiae culpantur,

habebat Abraham multum auri, argenti, pecorum,

familiae; diues erat, et in eius sinum Lazarus pauper

sublatus est. In sinum diuitis pauper;

an potius ambo Deo diuites,

ambo a cupiditate pauperes?

Augustinus Hipponensis, *Enarrationes in Psalmos*,
51.14 (CCSL 39, E. Dekkers & J. Fraipont eds., p.634,
ll.41-57).